

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

XXII. Res Danicae

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

§. XII. Magnum ibi splendidumque fuit sacerdotium, quod diu quidem ante tempora Iustiniani constitutum, tituloque *Dioecesis* celebratum, sed ab eo primum ad *metropolin* Iustinianae primae relatum est, idque assensu suo comprobavit Vigilus, Pontifex Romanus, cuius in lege nova ipse Augustus mentionem fecit. *Novell. CXXXI. cap. 3. Congruit Procopius in libro de aedificiis Iustiniani. Auctor notitiae Imperii Pannoniam Saviam, id est, Sirmiensem, inter sex Illyrici dioeceses retulit, sed de metropoli eius nihil prodidit, quippe quae, cum is scriberet, nondum erat constituta. Addatur Baronius VII. Annal. Eccles. an. 539. Nemo tam imperitus est, ut nesciat, tres fuisse urbes, Iustinianae nomine praeditas, quarum prima quidem in Bulgaria sita, et ex ruinis instaurata a Iustiniano, et metropolis totius Illyrici ac Pannoniae effecta est, de qua legi possunt Procopius, Cedrenus, Zonaras, Nicephorus aliique. Secunda et tertia huc non spectant, et alibi a me expenduntur. Sirmiensis sacerdotii antiquitatem pariter ac dignitatem probant *acta conciliorum Veterum*, nominatim Sardicensis et Aquilegiensis, Ep. qui inter reliquos Antistites subscripserunt. Postremus urbis Episcopus fuit Dumari Paulus, qui in praelio Mohaziano cecidit, a quo tempore omnes Sirmii rationes conturbatae sunt, et oppressa Pannoniae libertate, sacerdotium A. clo 10 XXV. a barbaris extinctum, hodie vicum male cultum ostendit. Superiori anno demum ex servitute armis LEOPOLDI AVG. ereptum, pristinam liberamque conditionem sub Pio et mihi Rege suo recepit. De Sirmio ad extremum legantur *VVolfg. Lazius commentar. reip. Rom. lib. XII. c. 3. Thuanus hist. lib. IX. a principio, et communiter rerum Hung. scriptores.**

## XXII. RES DANICAE.

Dania, (a) quam tradere antiquitatis causa volo, et pietatis debeo, reges olim ex Cimbris (b) famam ex bello maximam habuit, et virtutis experimento Romanis Germanisque his etiam beneficio cognita, Saxonibus insuper necessitudine ac foederum societate coniuncta fuit.

(a) Cum Daniae res scribere in animo habeo, nomen studebo prius eruere, quod Ioannes Ianus Svaningus ad ultima retro tempora porrigit, ac refert ad A. M. 2910. Convenitque huic cum Saxone Sialandico, et qui hanc sequitur, Iohanni Isacio Pontano, in quantum uterque historiam regum Danicorum a DANO primo huius nominis auspiciatur: cumque eo Ericus Daniae Rex in historica narratione de origine gentis Danorum et Esp. Lindenbruch hist. Dan. Reg. Ego certum habeo,



beo, seculo VI. a N. C. commemorari, atque eo allego Gregorium Turonensem Hist. l. 3. c. 3. et Venantium Fortunatum l. 7. qui affirmant, Danos Galliam vastavisse, His subscribit Dudo Neustrius l. 1. ac tradit cum Duce Hastingo ferociter ap-  
 pulsos esse, quia suos tractus Francia protense exporrigit. Praeter hos Da-  
 norum meminerunt ex Sec. IX. A. Fr. ad A. 808. 812. Scriptor vitae Karoli M. p. 276. seqq. Auctor fragmenti hist. Franc. p. 514. Sec. X. Vitechinus Mo-  
 nachus l. 1. A. Sax. S. XI. Adamus Bremensis H. E. l. 1. cap. 13. de situ Da-  
 niae p. 138. cuius descriptio omissa est in recensione Andreae Severini Velleii. S. XII. Sigebertus Gemblacensis ad A. 517. Sed hic etiam Daciam extulit ad  
 482. et ante eum S. X. Dudo, atque eadem imitatione Lamb. Schafnaburg, ad  
 A. 1265. Daciam, inquam, non Ripensem, aut mediterraneam illam, de qua vid.  
 Ptolomaeus Geograph. l. 3. c. 8. Tornand. de reg. success. p. 39. sed Daciam, qua-  
 tenus Cimbricam Chersonesum et Scandinaviam, ac intermedias insulas ambitu suo  
 comprehendit, potestque dici Dacia Normannorum, quam usu aevi sequioris ea-  
 dem scriptura indicavit Galfridus Monumetensis l. 9. c. 11. Nec tamen nescio,  
 plurimum ea denotari saltem Cimbricam Chersonesum, quod ex Felice Fabri, Aenea  
 Sylvio praeclare demonstrat Iohannes Meursius ad AElnothum not. in prooem. Seculo  
 XIII. Saxo Sialandicus, et Abb. Stad. ad A. 768. 804. seq. Detmarus Mersebur-  
 gensis Imp. Henrici II. aequalis nunc Danos, nunc Danaos appellat Cbr. l. 2. p. 24. 25.  
 Si Danaos, quod orti nuncupatiqve sint a Danais, populo Graecorum, nos minime  
 applausores habet: quicquid alias videatur Dudoni, qui saepe myrbicon aliquid ven-  
 ditat. Et scriptori vitae Karoli M. Daniscus, pro Dano dicitur p. 276. Sed ut maxime  
 Dani notio serius coeperit, tamen Codani multo prius in usu atque sermone fuit,  
 veluti documento est sinus Codanus apud Pomponium Melam. l. 3. c. 6. Plinium l.  
 4. c. 13. Est enim ibidem Codanus, qui nunc Danicus, sive Balticus, V. Io. B.  
 Pontanus rer. Dan. l. 1. a principio: origines vocabuli explicat Philippus Cluverius  
 in Germania antiqua l. 1. cap. 26. p. 184. et l. 3. c. 37. p. 659. Inprimis  
 autem familiare fuit antiquitus Normannorum nomen; hac notione apud scripto-  
 rem anonymum vitae Kar. M. Normannia pro Dania usurpatur, p. 276. Quod  
 dum apud se reputabat Adamus Brem. l. 1. H. E. c. 13. haud tacere voluit, istam  
 loquendi rationem a Francorum scriptoribus traditam fuisse. Nec tantum illa  
 Dani, sed et omnes, qui ultra Daniam colunt, populi continentur. Eginhartus  
 in vit. Karol. M. cap. 12. et ex eo M. Adamus l. 2. cap. 9. et in descript. Dan.  
 p. 144. collat. lib. II. c. 13. Quamquam interdum soli Dani hoc nomine expri-  
 mantur apud Adamum l. 1. c. 40. Abb. Stadens. col. 73. Io. Aventinum Annal.  
 Boi. l. 4. p. 280. idque stylo Carolingici aevi V. Fragment. Hist. Fr. p. 514. nec  
 fecius aliquando speciatim eo denotantur Norvægi ap. Bremens. l. 2. c. 43. Ab.  
 Stadens. ad A. 984. et 1029. Atqui negat de Sveonibus Phil. Cluverius l. 3.  
 Germ. ant. c. 41. hoc vocabulo separatim appellatos: sed nihilominus appellavit  
 ita



ita Eginbartus in vit. Kar. M. cap. 12. quem perperam castigat et corrigit Clu-  
 riu: in quam rem conf. Ad. Bremens. H. E. l. 1. cap. 13, et l. 2. c. 9. Quinimo  
 maiori ambitu sumit Luitprandus, et Russos quoque illo vocabulo comprehendit.  
 V. l. 1. c. 3. l. 5. c. 6. conf. Reineccius ad Poetam Saxonicum anonymum l. 2.  
 p. 21. Neque hic unquam Normannia externorum est confundenda cum Norman-  
 nia Aboriginum; illam signat Sigebertus ad A. 888. et collocat adeo Normanniae ex-  
 ternae, quatenus provinciae vere primum atque iure appellatae epocham. Conf.  
 idem ad A. 1204. quo Philippus Galliae rex eam eripuit Anglis, ignavo interim ac  
 luxu deliciisque soluto Iohanne Angliae rege, ut colligitur ex Westmonasteriense ad  
 A. 1204. edit. Francofurt. Praeterea eo videatur Ioh. Is. Pontanus Hist. Dan.  
 lib. 2. p. 58. et l. 4. p. 117. Nil addo de nomine Danigenarum, quod occurrit in  
 A. Fr. Pish. ad A. 850. Danemarchia non legitur in ullo monumento Carolingi-  
 co, aut Saxonico Latino veteri eiusdem temporis, licet verbis Latine paria facienti-  
 bus exprimat. Sic Ado ad A. 804. de Godefrido Danorum rege affirmat se-  
 quentia. Ibi per aliquot dies moratus, LIMITEM REGNI sui, qui Saxo-  
 niam respicit, vallo munire constituit. De Hemmingo Godofredi patrueli me-  
 morat Adamus Bremensis H. E. l. 1. cap. 13. fluvium Egdoram regni terminum  
 accepisse. Conf. l. 2. c. 8. et l. 2. cap. 39. Marchiam trans Egdoram nomi-  
 nat, quasi limitem versus Danos: disertius A. F. Pitboeani Marcam signant, ad  
 A. 825. ex quo sequiori tempore factum est, ut Marchia Danorum in Danemar-  
 chiae compositionem desineret. Vid. annot. sub lit. c. infra.

(b) De his plurima prodiderunt scriptores Romani, dat a occasione belli cum  
 populo Romano gesti, quod literis mandaverunt. Florus in ep. l. 3. c. 3. et in hunc  
 Io. Camers, auctor epitomes Livianae l. 65. 67. 68. Sallust. in bell. Catilinar. n. 59.  
 et in eum B. Rhenanus, ac Io. Pontanus; item commentatores in bellum Iugurthi-  
 num ad verba: per idem tempus adversus Gallos. His addantur Val. Maxi-  
 mus l. 4. c. 7. Strabo rer. Geograph. l. 7. Plinius H. N. l. 17. c. 1. et magno nu-  
 mero alii, inter quos sunt Velleius Paterculus, Sextus Iulius Frontinus, Appianus,  
 Eutropius, Paulus Orosius, Eusebius, ex recentioribus Io. Aventinus l. 1. annal. Boi.  
 Andreas Angelus Chr. Holfat. l. 1. c. 1. Io. Stumphius de Helv. l. 4. cap. 11. Iohan-  
 nes Isacius Pontanus rer. Dan. Hist. l. 1. Antonius Heimreich Chron. Nordfres.  
 p. 22. 23. De caetero quantum ad Daniae scriptores unus instar omnium esse potest  
 Albertus Crantzius non Danus, rerum septentrionalium insignis scriptor, cuius ex-  
 tat Dania, postque eum David Chytraeus, qui et multa diligentia sequitur historiam  
 Crantzianam, et praecclare recenset res Septentrionales Saxonicasque cui quantum  
 debeat Thuanus, ex plurimis apparet, in quibus saltem dictionis mutata forma est,  
 servata alioquin rebus, et in iustae historiae contextum receptis: tum vero longe  
 ante hos temporis intervallo Saxo Sialandicus, qui vixit omnes sui aevi, et pulchriori-  
 ri, quam quisquam alius ex media aetate, stylo complexus est historiam suae gen-  
 tis:



*tis: tantummodo obiicitur, quod iusto plus amplexus futris Eddae et Scaldae monumenta, quippe quibus non tam historia, quam poesis Islandica continetur. Sed excusat illum Petrus Iohannes Resenius, ICrus Hafniensis et patriae antiquitatis gnariter peritus, in praefatione de editione Eddae. Nec immerito scripsit Io. Is. Pontanus, Saxonis Grammatici cum ob barbariem seculi, quo vixit, admirabilem esse eruditionem tum recondita ubivis observata documentaque, si vel maxime etiam commemoret quaedam famam et fidem excedentia, l. 1. p. 12. Et hic non omittendus est Iohannes Lyschander solers pariter ac doctus antiquitatum Danicarum indagator, apud Marc. Zvv. Boxhorn. Orig. Gall. p. 97. supplet tamen saepe hunc, et corrigit alios Andreas Huitfeldius, ex quo et Saxone Grammatico omnem prope historiam suam composuit Io. Is. Pontanus, quod sicut lectio eius accuratior facile prodit, ita non diffidetur Iohannes Ianus Svaningius, qui eum vocat Huitfeldium Latinum. Sed in his quoque est Iohannes Meursius laudandus, qui multa cum cura atque diligentia res Danicas tradidit. Erpoldus Lindenbroch historiam regum Daniae ab anonymo scriptam perduxit ad Christianum IV. praeterea edidit scriptores rerum septentrionalium, unde magnus ille Grotius profecit multum, et praeter monumenta alia Danice scripta adhibuit consociendis prolegominis Gothicis, non vani laboris indicio, quod Gothico regi probarentur. Fuerunt etiam inter ipsos Daniae reges, qui et scirent exquisitissime Danorum res, et literis mandarent. Illuc pertinet ipsa Adams Bremensis, qui quod ad septentrionem spectabat, suo seculo omnium optime tenuit, confessio l. 1. cap. 40. dum affirmat sequentia. Audivi ex ore veracissimi regis Danorum Sueni, cum nobis stipulantibus atavos suos numeraret, etc. conf. eius historiae prooemium. Huc sua laude venit Ericus Vratislai VII. Ducis Pomeraniae filius, idemque A. 1396. electus Daniae rex, qui contexit historicam narrationem de origine Danorum, et Regibus eiusdem gentis, et desit in A. C. 1288. Absurdus est VVolfgangus Lazius, qui Cimbricos ex Cimmericis, quatenus his Francorum gentem denotat, descendisse nullo gravi auctore probat, allegans Pseudo Berosum, et fabulas pro vero: de gentium migrationibus l. 3. de Cimmericis. Non quod negemus, Francos esse Germanos, quod alibi evicimus, et inter alios adstruxit R. Reinccius in Orig. Franc. sed quia hi diversi populi sunt, et fuerunt olim, ac si maxime unam originem ultimam habuerunt, non tamen illi ab his prodierunt, sed veluti distinctae propagines in distinctas gentes populosque abierunt. Ut hic non adferam diversos imperiorum utrinque fines, dissimilia ingenia ac mores, discreta domicilia atque diuinas sedes, demum tot distinctas, et multum ab se recedentes migrationes. Illud vero non praeter rem observant multi, et satagunt colligere ex Ptolomaeo, SAXONES Cimbrorum esse sobolem. V. Petrus Albinus in Chron. Misn. de adventu Saxonum p. 393. Conf. Erpold. Lindenbroch in Chron. Car. M. col. 56. 57. Neque hic officit libertati et bonoribus Danorum, Teutonicos, ut Cimbrici erant, habere genitores, perinde ut idem*

non



non officit dignitati Gotthorum. Multo minus vero id derogat, quod priscis temporibus ambitu Germaniae magnae continerentur. Idoneum sane hic testimonium est, quod adducere possumus ex I. et II. seculo scriptores autoritatis multae ac praeclaros fide, qui Cimbrorum inter Germanos meminerunt. Inter alios Ptolomaeus et Pomponius Mela: Strabo etiam conceptis verbis Ἰσθμὸν Γαλατικὸν appellavit, l. 7. p. 331. edit. Basil. Idem et approbat Posidonii coniecturam, quia Graecis Cimmericos dictos fuisse vero similiter arbitratur, repetito indicio Lazianae vanitatis, quae Cimmerici essent deducendi a Francis, quorum ne nomen quidem Strabonis aeo cognitum erat, ut suppedere quosdam ineptae opinionis debeat, qui contendunt ante III. Sec. quicquam esse traditum de Francis, credituri aliud, si apud se expendant originum atque migrationis gentium argumenta. Assentiuntur Velleius Paternulus, Tacitus, Iustinus, et complures, qui Cimbrorum nomen perpetuae memoriae commendarunt. Nec est magni momenti, quod Sallustius in bell. Iugurth. Hieronymus in ep. ad Geront. Paulus Orosius hist. l. 5. cap. 16. Cimbro numerant inter Gallos. Nam quae non inscita Castilionei observatio est, Gallorum voce latius utuntur, quam proprie ac distincte uti ea convenit. Spectatque huc interpretatio commentatoris in Iuvenal. Satyr. ult. vers. Bardiacus iudex datur haec Gallicum, Esib. Lubinus ibidem: Atqui Bardi etiam fuerunt apud Germanos, quod indicio est, veterem commentatorem Gallorum notione hac quoque Germanos complexum fuisse. Itaque distribute et explanate locutus est Eutropius, qui lib. 5. h. v. nuncupat Germanorum Gallorumque gentes, Germanis Cimbro et Teutonos, Gallis Tigurinos et Ambrosos adscribens. Verumenimvero non protinus ex eo sequitur, Cimbro imperio Germanico subiectos fuisse, ut nuper ostendimus peculiari dissertatione de rebus Sveogothicis. Quamquam et de Danis, cum vetustissima secula respicio, illis alia suppetant argumenta, qui tradunt, Daniam imperio Teutonico aliquando obnoxiam fuisse.

§. II. Caeterum Carolino aeo, unde certa et continuata Regum Danicorum series initium habet, ad belligloriam pariter et augendum regnum contendit Godofridus, (c) rex insita animi magnitudine, multisque aditis periculis clarus, et quia prudentia erat, infringendae Francorum potentiae adeo cupidus, ut circumspiceret occasionem pugnandi cum Carolo, atque ostenderet, tantum sibi esse animi ad provocandum, quantum spei ad vincendum imperatorem tantum, qui tot Europae gentes nationesque hactenus vicisset. Cumque his initiis ea causa ageretur, Saxones VVilosque pro libertate hortabatur, et adducto in non vanam dominatus suspensionem Carolo, rebus adhuc integris, invitabat ad foedus, haud expectandum ratus, usque dum ex desperatione capiendum consilium sit, quod et privatim sequi poenitentia, et publice servile obsequium possit. Haec talia sva-



dentem, et resistere paratum Francis, et oppugnare avidum sustulit parricidae manus, regem, si fortitudo atque constantia reputantur, maximum, et si vixisset, praecipue momentum ad repellendos Francos, qui iam ubique formidabiles esse coeperant, allaturum, certe saltem effecturum, ut vires eorum pluribus locis destituta ad irruptionem minus valida essent: sed postquam regis occisi allatus rumor est, non mediocriter res Danorum labefactatae sunt, neque perinde eos periculum affecit aut clades, quam dolor ex indigna ista nece ortus, siquidem tunc eo rege privati erant, cuius famae et multum tribuebant Franci, et ex quo Dani inprimis magnam felicitatis suae partem viresque regni pendere existimabant. (d)

(c) Saxoni Gotricus, quasi Dei plenus, est, non raro talium nominum a Deo rebusque divinis impostorum apud Cimbricos Gothosque exemplo: quamvis in monumentis Carolingicis illo ipso aevo, quo vixit, haud aliter, quam Godefridi ac Godefridi, sive Gotsfredi nomine esseratur. A. Fr. ad A. 782. A. 808. A. 825. Scriptor vit. Kar. M. p. 266. Nec secius Adelmus ad A. 808. Eginhardus c. 14. Ado Vinnensis ad A. 806. ac Regino ad A. 782. huius enim anni rationibus annalium Fr. Pithecanorum respondent. Adamus Bremensis Gotafrid extulit. l. 1. H. E. cap. 13. Abbas Vrspergensis Godefridi scripturam servat ad A. 808. Abb. Stad. ad. A. 804. Godefrid retinet, uterque Carolovingici aevi stylum secutus. Tametsi autem ab antiquissimis temporibus reges egregios et sua virtute validos Dania habuit, tamen dolendum est, rudibus istis seculis defuisse, qui scriberent, optandumque, extitisse Cimbricos, qui aetate Livii de Cimbris non poesin, sed iustam historiam scripsissent, quod non temere in mentem veniat suspicari, Romanos plurima praeteriisse, aut detraxisse veterum Cimbrorum laudi. Ex Floro sane colligas, maxime Martios reges habuisse, argumento Belci Cimbrorum regis, ita enim cum Iodoco VVillichio legimus, quamvis Boeorix legatur apud Iohannem Minellium, qui ut steterit in acie fortiter, et pugnaverit ad extremum usque spiritum adversus Romanos constanter, et demum ceciderit non inultus, graviter affirmat idem l. 3. c. 3. ep. H. R. et nos trademus singulari dissertatione de Theutobocho, quamquam et hic ab aliis aliter scribatur, ut observat Andreas Schottus in Orosii l. 5. c. 16. annot. p. 401. Pontanus l. 1. rer. Dan. p. 5. Apud scriptores Francos primo omnium sub nomine Danorum regis obvius mihi fuit Chochilaichus, qui apud scriptores Danicos est Gotilacus, Theoderico, cum viveret, regi Francorum infestus, et re navali potens: Gregorius Turonensis Hist. l. 3. c. 3. Neque hoc extincto, mutarunt Dani animum, et dum domestica fastidiebant, externarum rerum desiderio aegre quieverunt, atque ingenio otii impatiente effecerunt, ut Gallorum Belgarumque respublica veluti in salo aliquo fluctuaret. Nam aliquanto post Gotilaci obitum effusi iterum, Francorum agros vastaverunt, et praecis utrinque confectis, inusitato impetu, collectis-



que interdum ex fuga viribus, pugnaverunt, ut gravi carmine enarravit Venantius Fortunatus. Ex eo formula remansit, quam monstrat Cippus Vinburnensis; PER MANVS DANORVM PAGANORVM OCCVBIT. Non enim satis erat, infestasse tot ditiones, et laceffuisse Franco Merovingorum, quos Venantius respicit, reges, Guntranum, Sigebertum, Hulfericum, nisi Anglos pariter atque Scotos aggredirentur, illorumque regem Etbeleredum caederent, ut signat inscriptio Vinburnensis, hos etiam classe peterent, quod habent annales Pitheoani ad A. 812. Propterea annales Fuldenses minime fallunt, quum tradunt, gentem Danorum esse fortissimam, et nequid ego in laudem antiquae gentis comminisci videar, hoc titulo elogioque ornant, quod nunquam antea in aliqua munitione aut capta, aut superata audiatur: Saxo eo progreditur, ut indolem animorumque egregiam vim ab ingenita Danico sanguini virtute derivet, l. 16. hist. Dan. et passim eorum fortitudinem extollat, praesertim in bellis contra Slavos. Abbas Stadenfis ad A. 988. Danos impense laudat propter victoriam a Saxonibus deportatam, pulchre etiam ex Sigeberto Gemblacense Jacobus Meyerus, in annalibus Flandricis ordinat seriem urbium vicorumque a Danis in Belgica direptorum, ab A. 820. 851. 861. 863. usque ad A. 882. ubi Sigebertus affirmat, Franciam, Lotharingiam, Flandriam populos, totam fere Bataviam in cineres ac favillas redegegisse. Conf. Ferricolus Locrius chron. Belg. ad A. 880. Cur tantos animos sumserint Dani, explicat Crantzius in Vandalia l. 2. cap. 25. et in Norvegia l. 1. cap. 39. Ad haec reddit rationem doctissimus idemque rerum septentrionis peritissimus Arngrimus Ionas peculiari epistola ad Oslum Vormium, virum perinde exquisitae eruditionis ac multae lectionis, qui approbat, Reges Danorum SKIOLDVNGOS appellatos esse, quod chypeo atque armis ante ceteros valerent, indicio originis vocabuli Skioldur, quippe non aliam, quam chypei notionem prae se ferentis. Et quanquam adfertur numus cusus in hanc formam: EIECTIS NORMANNIS. ET RECEPTE ANDEGAVIA: Iohannes Palacius Aq. inter lilia p. 197. ed. Venet. tamen 1. non recte refertur ad aetatem Caroli Calvi; non enim respondet nota annorum DCCCLXXIII. numo incisa: siquidem altero post anno, id est, DCCCLXXV. Carolus Calvus Imperator factus est: A. Fr. ad h. A. 2. Andegaviae vocabulum non est ex usu curiae Carolinae. 3. et quanquam aliquin constat sibi historia, et respondent aeta, tamen ratio temporis non respondet: nam an. 874. quem nota incisa indicat, recepta est urbs Andegavenfis. Sigebertus ad A. 875. Aimoinus de gest. Francor. l. 5. cap. 31. Crantz. in Norveg. l. 2. c. 7. Neque insolens est Palatio, numos adducere contra historiae numariae leges, quod de multis aliis eius evidentissime singulari libro conficiemus. Illud vero saltem hic adimus de vocabulo Danemarchiae, quanquam tali compositione in nullo monumento Carolingico reperiatur, nec in Saxonico eiusdem, aut proximi temporis, extare tamen apud Reginonem, seculi X. scriptorem, qui ad A. 884. DENEMARCAM signat, edit. Francof. et Argentorat. Sed et occurrit Dania Cismarina, per quam Iutia



intelligitur, *Abb. Stadens. ad A. 948.* estque ipsa *Chefonesus Cimbrica*, *Crantzius Sax. l. 1. cap. 1.* Demum *Nordmanni plurimum differunt ac distant a Nortliudis, sive Nortleudis, quos utroque modo enunciat scriptor anonymus vit. Kar. M. p. 244. et 259.* Hi enim *Nordalbingi alias audiunt, Ioh. Is. Pontanus l. 4. rer. Dan. p. 92. conf. Alb. Crantz. d. loco. nomine sine dubio ad situm magis Septentrionalem denotandum Saxonibus, qui trans Albim colunt, imposito; alienus enim hic est ille usus, quo homines, sive Leude iuxta veteris Tiotismi formam, in historia, praesertim Alemannica, pro fidelibus sumuntur. V. Goldast. tom. 1. part. 1. rer. Alem. p. 32. siquidem Transalbani adeo non servaverunt Carolo fidem, ut quoque propter hanc violatam in Franciam transportati fuerint: A. Pitheocani ad annum 804. collat. cum A. 798. De sede metropolitana Nordalbingorum Hammaburg, quae Ansgario attributa est, extat diploma Gregorii IV. Pontificis, cuius subscriptio certe falsa est, et minime cum scriptura curiae Pontificum istius aevi consentiens, prout allegatur a Ioh. Is. Pontano hist. rer. Dan. l. 4. p. 98. Itaque hanc ob causam omissa consulto et iusta ex causa est a Ioh. Madero in sylloge diplomatum Ad. Bremensi additorum, p. 187. qui multo circumspetius atque ex recensione Erpoldi Lindenbruchii exhibuit diploma Gregorianum. At illa Transalbanorum civitas, sive Nordalbingorum metropolis, alio nomine, et priusquam ornaretur dignitate sedis metropolitanae, dicta est Hochbuchi, sive Hochburi, A. Fr. Pithe. ad A. 810. Abb. Stadens. ad A. eund. et A. 833. Adelm. ad A. 810. collat. diplomate foundationis Ludovici pii A. 834. promulgato. Errant vero, ut in transcurso dicam, qui Hammaburg a Iove Hamnone dictum putant: Ham enim apud Saxones et Fresos sylvae aut saltus, non idoli, significationem habet, indicio Holsatiae quondam maxime sylvestris, ut per fabulam quidem, sed huic negotio convenienter et recte enarrat *Abb. Stadens. ad A. 917. ex quo nomen Holsingorum ortum est, ap. Pithe. Annal. ad A. 852. de loco Holdenstein vid. Vrspergens. ad A. 804. quod scriptor Karol. M. expressit Ondulstetin, p. 266. neque melius existimat Alb. Crantzius, qui ab Hama pugile perperam deducit, l. 1. Sax. cap. 11. conf. H. Meib. ad Chron. Marcan. Levoldi a Nortbos. p. 44.**

(d) Summa huius commemorationis est in *A. Fr. Pithe. ad A. 809. et 810. scriptor vit. Kar. M. p. 276. Abb. Stadens. ad A. 804. et 810. Saxon. hist. Dan. l. 8. imprimis Pontanum hist. eiusd. l. 4.*

§. III. Post Godefridum regno praefuit Hemmingus, (e) Princeps moderatus et perspectae probitatis, qui vitam quidem infra belli gloriam, at certe sinceram innoxiamque egit, et pacem usque eo in quaestu habuit, ut quavis honesta conditione faceret, et curam atque studium impenderet, uti facta constantissime servaretur, et si qua finium regundorum controversia erat, iudicio arbitrario rectissime finiretur. His prospero felicique eventu actis, decessit Emmingus, hoc vehementiori omnium coloris sensu, quod  
idem



idem eius vitae finis, qui belli civilis initium esset, excitatis in mutua odia animis, ut iam in visceribus regni haereret malum, nec prius desineret, quam exitio auctorum, qui sive temeritatis suae, sive discordiae poenas dabant, et quum pacem concordiamque inter se colere potuissent, praelio congressi, mutua pernicie se conficiebant, victuri ad gloriae aeternitatem proceres, si benigne se atque comiter habuissent invicem, et qua decet fide, sua ac regni negotia tractavissent: nunc quum multo secius ac praeter officium facerent, resque omnium in magno discrimine versarentur, tandem exemplo patuit, vicisse causam Anulonis, (f) forsitan ut hoc indicio constaret, non aliam esse regni Daniae rationem, quam ut ab uno administraretur. Itaque Harialdus et Ragenfridus, (g) qui Anulonis partibus studuerant, meliore belli fortuna votorum compotes effecti, regnum periculo factionibusque ereptum consensu atque gratulatione omnium susceperunt: neque in perturbatores, qui vita incolumi e praelio excesserant, gravius consultum, et prudentiae datum est, quod superior cognitio omitteretur: adeo victoribus satis erat, post dissipatas hostium vires, restitutamque tranquillitatem publicam, accepisse regium insigne, et principem in republica locum. Verum tenebatur speciose ultio, quum adversa pars occulte animum intenderet ad ulciscendum, et ad Godefredi filios (h) conversa, quid iniuste amisissent, exaggeraret, atque hunc in modum concitandae seditioni omnem operam consiliumque adferret. Illud vero ad Haraldum culpam pertinebat, quod Ragenfridum vehementer exagitasset, ac cupiditati suae indulgens, omnem huius dignitatem atque opes subvertere allaborasset, non passurus socium, quando in spem venerat potestatis ad se unum deferendae, repetito argumento illius, quod modo affirmavimus, in regno Daniae non esse simul sociatam potentiam concordiamque. Igitur tumultu orto, in exilium actus, venit ad Ludovicum-Pium, qui eum honorifice acceptum, beneficio trans Albim auxit, atque ad sacra Christi adductum institutumque cum coniuge et magno Danorum numero mysteriis initiandum curavit, quod singulare et inter omnia fortunae munera maximum habuit Haraldus, primumque id et felicissimum initium fuit, regnum Daniae ad verum Dei cultum condecoratorum.

(e) Saxo, et scriptores Danici inter Godefredum et Hemmingum interserunt Olaus, Godefredi filium: nos secuti scriptores Francos Hemmingum Godefredo successisse scripsimus, quod partim auctoritatibus munire, partim iudicio factorum colligere possumus. In annalibus Pitheoanis ad A. 810. opinio nostra confirmatur his verbis: Godofrido Danorum rege mortuo, Hyemmingus filius fratris eius in regnum successit. Eadem verba retinet Adelmus ad A. 810. et re-

petio



petit scriptor vitae Karol. M. p. 277. Nec fecius scribunt *Vrßpergensis*, atque ex eo, ut alias solet, *Abbas Stadenfis* ad A. 810. *Martinus Cruftus* l. 1. part. 2. annal. Sver. filium *Godofredi* nominat, forte imitatus *Sigebertum* ad A. 809: qui ex monumentis *Carolingicis* iudicandus erat. *Cranzius* eo multo cautior, in medio relinquit: *Hemmingus*, inquit, hunc regno excipit, filius, an exterus, non memoratur: *Dan.* l. 4. c. 4. Credo ferme sui oblitum esse *Cranzium*, ut qui nescire non debuerit, *Hemmingum* non exterum, sed indigenam, nec *Godofredi* filium, sed patrualem fuisse. Quod significatione eventorum porro licet declaremus. Nam *Godofredi* nepos instituit repetere regnum, velut iniuste ablatum, *A. Pitb.* ad A. 812. Nec alia filiorum mens fuit, quum regno *Haraldum* privarunt: *Abb. Stad.* ad A. 826. conf. *A. Pitb.* ad A. 815. et 825.

(f) *A. Fr. Pitboeani* ad A. 812. *Adelmus* monachus ad A. eundem: *Abb. Stad.* ad A. 817. Ex quo colligas partim *Primorum* in regno *Daniae* prerogativam, partim potentiam, partim proprietatem regni, quod ut tempora tunc moresque erant, electione constabat, vel solo indicio successionis *Emmingi* ex eo titulo, quoniam et multa alioqui ratio generis esse, et procerum ab stirpe regia eorum iudicium eo plurimum valeret, ut documento est *Anulo*, aliis *Amilo*, qui autoritate et suffragio suo imprimis *Haraldum* et *Reginfridum* provexit in regiam sedem. Cuiusmodi illustri dignitate aucti multum erant supra ordinem equestrem: non sicut ac *Edlingi*, unde reges *Germanorum* creati sunt, quorumque meminit post *Paulum* *Diaconum* *H. Langob.* lib. 1. cap. 21. *Nithardus* *hist.* l. 4. p. 478. et *Ad. Bremenf.* *H. E.* l. 1. cap. 5. longe supergressi sunt *Nobiles*, qui hodie appellantur: olim enim hi non *Edelingi*, sed *frilingi*, liberi homines, ingenui, et sequiori tempore ministeriales, milites, militares, servi, servientes, famuli, *Knappii* dicebantur, quod cum ex plurimis monumentis, tum ex variis diplomatis ostendi evinique potest. Conf. *Reineccius* ad poet. *Sax. anon.* l. 1. p. 13. *Goldast.* T. 1. part. 1. rer. *Alm.* p. 133. *Meibom.* ad *Chron. Marcan.* p. 49. Nam vix satis accurate in hoc negotio versatur *Iohannes Iustus Vinckelmannus* in notit. vet. *Vestphal.* p. 203. qui *Frilingos* atque *Barones*, quas *Philippus Cluverius* accenset *burgariis* sive *plebeiiis*, *V. Germ. antiq.* lib. 1. cap. 15. p. 103.

(g) Duos de regno contendisse memorat *Sigebertus* ad A. 811. quos nominant 1. *Fr.* ad A. 812. *Vit. Karol. M.* p. 279. *Abb. Stadenf.* ad A. 817. et ibidem de regibus *Haraldo* et *Ragenfrido*, qui vulgo multum commutatis literis scribuntur, ille etiam *Sigeberto Hariolus* ad A. 815: interdum *Herioldus*, aliquando *Herioldus* apud *Adelmum* et in monumentis *Carolingicis*, *Abb. Stadenf.* *Danicis*que scriptoribus *Haraldus*: hic *Saxoni Grammatico* *Regnerus* est, l. 9. edit. *Francos.* quo vid. *Pontanus* *hist.* l. 4. p. 96. Ne nunc addam, quod nec *Ragenfridus* iisdem apicibus semper exprimat, ab *Haraldo*, qui publicam quietem turbaverat, ambitioso et ad



et ad autoris damnum pertinente consilio eiectus regnandiqve consortio privatus, *A. Stad. ad d. A. cuius facti memoria cum tanta invidia fuit coniuncta, ut Godofridi filii suscipere negotium deturbanâi Haraldî, et perducerent ad optatum exitum, Haraldô autem ista calamitas proficeret ad salutem aeternam ac ad vitae constituenda subsidia a Ludovico pio beneficium in Nordalbingica, fratri eius Horico Rusria Fresonum impertiretur. Abb. Stad. ad A. 826. atque ex eo Pontanus in Haraldô et Regnero.*

§ IV. Dum ita res in Dania turbantur, de remedio cogitat Ludovicus pius, et restitutionis Haraldî consilium inquit, *(h)* cumqve hic ob tot structas infidias et pericula, quae domi imminabant, inceptis desisteret, contentus vivere in tuto ac procul armis, eam causam, nec vano exitu, agendam suscepit Horicus, qui Danis Ericus est, idemqve Haraldî regno extorris frater, atqve ob recuperatum regnum felix, et verae religionis in Daniam in vectae post Deum autor, *(i)* sed cuius in reliquis fidem ac voluntatem maxime suspectam habuerunt Dani, siquidem haud multo post ad pugnam egressus, fortiter ac totis viribus dimicans cecidit, nihilo meliori fortuna copiarum hostilium, quarum ductor Gudure, Princeps Normannus, *(k)* pari fato nec inultam mortem oppetivit, tanto quidem dispendio ac regii generis clade, ut nemo iam praeter Horicum iuniorem ex ea superstes esset. Isqve ad Godefridi stirpem *(l)* initia refert sua, et avitae successionis, qualiscunqve etiam fuit, ordinem hic denuo praebet, recepto legitime regno, quod iniuria praereptum fuerat, et post multas Christiani nominis vexationes, emendato ingenio, ac amplificata illius quoqve dignitate egregius, qui dicitur habuisse filium pariter et successorem Lodnecanutum, *(m)* inter reges maximos numerandum, si patris exemplo animum ad religionem doctrinasqve optimas applicavisset: quanquam hic variant interdum annales, scriptoresqve Franci multum abeunt a Danis, et saepe tempora ac nomina aliter recensent.

*(h) A. Fr. ad A. 815. scriptor vitae Ludovici pii Pithecan. p. 363. Comites Saxoniae atque Abotritos subsidio ei missos tradit, et simul exponit causam irritae istius expeditionis. Sigebertus ad A. 815. et 816. Abb. Stadens. ad A. 826. Saxo Grammat. l. 9. p. 158. edit. Francof. Albertus Crantzius asserit, Saxonis armis restitutum quidem, sed mox iterum a Regnero victum aufugisse: Dan. l. 4. cap. 10. et l. 5. Svcc. cap. 2. affirmat, usque in Iutiam ope Saxonum pervenisse. Illud vero nullo vero documento conficere potest Crantzius, Haraldum vel ad tempus auspicio Francorum, ductuqve Saxonum in Daniae regnum restitutum fuisse.*

*(i) In compendio Abb. Stadens. ad A. 846. atque ex hoc Pontanus, qui hinc probat, Moguntiae urbe Germaniae primae sacris initiatum l. 4. Hist. Dan. in*



Erico I. Refertqve Stadenſis, eum condidiſſe Sleswvici templum. Saltem conſi-  
tetur Saxo, Germaniam prius, quam Daniaſe Chriſtianam, l. 8. p. 149.

(k) Varie ſcribitur, Gudum in A. Fr. ad A. 854. apud Saxonem Guthor-  
mus, l. 9. Hiſt. Dan. Alb. Crantz. Gutorinus l. 4. Daniae cap. 12. Pontanus in  
Erico I. Gothurnum poſuit: Ericus Daniae Rex Guthorum regem Norvegorum vo-  
cat, ſignificatione laxiore, aut more inſtitutoqve ſequioris temporis, quod ſignat  
Abb. Stadenſis ad A. 984. Erpold. Lindenbruch appellat Guttorum: nos exem-  
plo Stadenſis extulimus Gudure ad A. 858.

(l) Ericus iunior, ſive cognomento Barn, item puer, ex Chriſtianae religio-  
nis oſore eius deſenſor factus, ap. Stadenſem d. l. Arnoldum Huiſfeldium hiſt. Eccles.  
ad A. 860. Pontanus in Erico II. Erpold. Lindenbruch in eodem.

(m) Ita ſcriptores Danici commemorant, Saxo Grammaticus l. 9. p. mib. 160. ſeq.  
et ex eo Pontanus l. 4. hiſt. Dan. p. 115. LODNECANVTVS multis parvum, qvibus-  
dam hirsutum denotat. De Alberto Abbate Stadenſe obſervandum, huius nar-  
rationes plurimum diſſerre a domeſticis Danorum, quod uliro iis liquet, qui ſaltem  
l. 9. ac 10. Saxonis Grammatici, et Stadenſis. ad A. 861. 896. 913. 921. expen-  
dunt atqve comparant. Neqve hic praetermittendum, diverſos eſſe reges Danorum in-  
ternos ab externis, et ſaepe numero piraticae deditis, quorum uno tempore plures  
erant, cuiusmodi nominantur ad A. 861. Horig. Ordvrig, Godeſfrid, Rodulf. et  
Ingvar, Abb. Stad. ad. h. A. qui eosdem tyrannos nuncupat.

§. V. Itaqve mei inſtituti eſt praeterire haec, et commemorare ſtri-  
ctim inſigniores Daniae commutationes, ut qvibus ipſa acceſſionibus olim  
amplificata, et qvibus contra modis deminuta ſit, ſummatim et veluti ſub  
uno aſpectu intelligatur. Principio autem qvanta Danorum laus atqve  
autoritas tempore Carolingorum fuerit, maxime foederibus cognitum eſt  
atqve iis rebus geſtis, qvibus apparuit, tot campos ac maria emenſos, ut  
firmatis domi rebus qvam plurima apud externos poſſiderent, et in Galliam  
delati ac Belgium praedas agerent, ea audacia, qvae oſtenderet, non magis  
opes, qvam novas ſedes ibi deſtinare: (n) hinc verſi in Angliam, protule-  
runt ultra veteres fines imperium, et Daniaſe armis, Norvegiam iure hae-  
reditatis regno adiecerunt: nec intra hos fines iſta habendi cupiditas fuit,  
ſed qvaeſtu et gloriae appetitu in dies crevit: mox occupatae Saxonum trans-  
albinorum Slavorumqve terrae, et Rugia in poteſtatem redaeta, fiduciaqve  
clientelari Ducibus addicta, qvae longo tempore hac fide nexuqve manſit:  
praeter has Eſthonia acceſſit, antiquiſſimo Regneri omine, qui, ut Saxo te-  
ſtis eſt, in Curorum Semborumqve oras profectus, capacem fortunae regiae  
maieſtatisqve animum his gentibus repraeſentaverat ad venerationem us-  
qve et plauſum. Tum vero priſcos Romanos imitati, coloniis hinc inde  
mis.



missis, nomen imperiumque amplissimum effecerunt, simul et commercia, atque rem nauticam diligentissime curaverunt, tam pollentes nunc atque clari, ut et reddere infestum, et tutum mare possent.

(n) Arbitror sane Danos oppugnatione Saxoniae transalbinæ, quam iuxta cum Friesia in patrimonio suo deputabant, excitatos imprimis atque irritatos fuisse: V. Abb. Stad. ad A. 768. col. 73. Tameñsi diffiteri non debeo, illos multo ante fecisse piraticam, et infestasse Galliam iam tempore Franco-Merovingorum, ut ex Gregorio Turonense supra per id fecimus manifestum: auxit adeo offensam saltem expeditio Caroli M. in Saxones transalbinos, ut colligere satis licet ex annalibus Francorum ad A. 804. et A. 808. cum Abbate Stadenſe collatis. Perſpicuitatis causa hic partiemur memorabiliores vicissitudines actuum per annorum seculorumque ordinem. 1. A. 826. ius atque dominium in Nordalbingica et Friesia imperatoris Ludovici pii beneficio acceperunt. Abb. Stad. ad A. eund. 2. 888. Galliae partem, quæ trans Sequanam erat, pacto obtinuerunt. Sigebertus ibidem. Qui tamen Dani fuerunt externi, ac potiori parte, ut censent, Norvegi: interni enim nullum in Gallia imperium tenuerunt. 3. A. 876. Northumbriam Angliamque in ditione sua habuerunt. Abb. Stadenſ. ad h. A. Lindenbruch hist. Dan. in Erico II. Frothone VI. et Gormone II. quo rege iterum defecit Anglia. 4. A. 984. extincto Acquino Norvegorum rege, ad Daniam adiunxerunt Norvegiam: siquidem ille heredem instituerat Haroldum Daniae regem, qui potentiam postliminio propagavit usque in Angliam, et Saxonibus transalbinis, quos enumerat Bremensis l. 2. H. c. 8. leges tulit: idem lib. eodem cap. 19. Abb. Stad. ad A. 984. 5. A. 1022. Kanutus II. adeptus est possessionem trium regnorum Angliæ, Daniæ et Norvegiæ. Adam. Bremens. lib. 2. cap. 54. Abb. Stad. ad A. d. et A. 1228. Lindenbruch in Canuto II. 6. A. 1164. Danſvicum a VValdemaro I. conditum, et ob antiquam Danorum coloniam valde celebratum, quod vulgus Danciscum extulit. Pontanus hist. Dan. ad d. A. et 1210. item chorograph. Dan. descript. p. 707. Suaning. Chronol. pag. 78. 7. A. 1196. Canutus VI. instructa classe Livoniam petiit, ac Esthoniæ in potestatem suam redogit. Causam expeditionis in Esthones susceptæ recensuit ad A. 1175. cuiusmodi erat piratica et superstitio pagana, quam prodito ab antecessore exemplo evellere porro ex Esthonorum animis, atque abrogare in solidum studuit VValdemarus II. A. 1206 Pontanus ibidem. Quamquam Lindenbruch de Canuto II. affirmet, subiecisse eam, sibi. Caeterum a Canuto VI. plerique repetunt titulum regis Slavorum, quandoquidem is etiam beneficiarium Principem imposuit Iarimarum. Vid. in eo Pontanus: mihi tamen, quod meminere, hætenus nullæ visæ tabulæ sunt antiquæ iuxta et veræ, quibus ille Slavorum titulum sibi addiderit, suppetunt tamen a VValdemaro II. confectæ, quibus is quidem Danorum Slavorumque regem se appellavit. Nam quod



alias a Canuto, quem Obortitorum regem inaugurarvit Lotbarius II. apud Helmold. l. 1. chron. Slavor. c. 49. arcessunt, atque ex eo derivatum ad Daniae reges existimant, quodque nos recensuimus de sententia aliorum in diff. de Orig. Pomerar. §. 7. sub lit. o. minime hic defensum volumus. Nam Kanutus ille licet iure regnum Daniae adipisci debuit, praereptum tamen illi a patruo Nicolao est. ut non rex Danorum, sed Obortitorum saltem Lotbarii imp. beneficio esset. Helmold. d. l. 8. A. 1240. VValdemarus II. leges Cimbricas promulgavit. V. Iohannes Ianus Suaning in Chronol. Dan. ad b. A. Io. Is. Pontanus ad eund. qui et ibidem ex VVitsfeldio, cui praeter Hugonem Grotium ipse in historia septentrionali plurimum debet, differit de legibus Scaviensibus ac Sialanâis VValdemari I. et ut saepe alibi, ita et hic praecclare quaedam ex actis regalibus ac tabulariis deducit, imprimis diploma Friderici II. ad A. 1204. apud Mezios, ut subscriptio habet, exaratum, quo VValdemaro II. ius atque dominium Slaviae, sive Venedorum: (vulgo Vandalorum scribunt) est confirmatum, atque adeo hic aliena est concessio Lotbarii II. Canuto regi Obortitorum facta: Canutus enim, de quo diploma memorat, huius nominis VI. est, et VValdemari II. regis frater ac in regno Daniae antecessor, qui nondum Slavorum regis titulum, ut colligo, sumsit, si maxime ius in Slavia quaesitum habuit: nec enim in Slavia rex nuncupatur, sed quicquid in Slavia acquisiverat, in diplomate exprimitur, nullo Slaviae regis adiecto titulo, et quo, haud dubie reverentia imperatoris, abstinuit Canutus VI. Verba diplomatis, quae forte ignavis adferre dubitationem possent, haec sunt: Et quicquid in Slavia rex Canutus (rex, puta Danorum huius nominis VI.) comparatum paterno suo labore tenuit, regno ipsius (id est, VValdemari II.) addimus, factumque praesentis privilegii nostri autoritate, et sigillorum principalium impressione confirmamus. Propterea arbitror ab hoc tempore primum VValdemarum II. regis Slavorum titulum usurpasse, neque de eo amplius cum D. Conringio de fin. imp. c. 16. dubito, sed quoque nunc non praeter rem affirmo. Verum ius atque dominium Nordalbingicae iam diu ante a Friderico I. cum bulla aurea VValdemaro I. datum concessumque tradit Ericus Daniae rex de orig. gent. Dan. A. 1181. 9. 1380. coepit coniunctio trium septentrionalium regnorum Daniae, Norvegiae Svediaeque: et Daniae quidem ac Norvegiae in perpetuum, Svediae autem ad longum tempus, id annis 135. ut rationes consiciunt chronologi. Vid. Chron. Suaning. ad b. A. Demum de insigni Equitum Elephantis Ordinis addimus, multo recentius esse, quam ut id ad tempora belli sacri referatur; damus tamen multis ante seculis et militiae insignia, et praemia virtutis militaria viguisse apud Danos, sed Canuti VI. aetate imagine elephantis illa ipsa distincta fuisse, nullo vero aut probato antiquo monumento conscias. Propter hanc causam tradit Io. Is. Pontanus chorograph. Dan. descript. p. 770. se institui huius ordinis leges, et a quo conditae sint, rescire baclenus non potuisse: neque adfert documenta Pontanus, quam ibidem p. 769. velut a se dissentiens refert, Philippum bonum insignis istius



istius exemplo instituisse ordinem aurei velleris: ego sane indicia habeo ultra reges Oldenburgico sanguine oriundos initia ordinis istius quaeri non debere: sed quis ex his nominandus autor sit, dissident ab se scriptores, et convenienti ordine alibi prosequemur, contenti hic meminisse, REGEM potentissimum CHRISTIANVM V. qui post tot seculorum interiecta intervalla revocat optimos ritus, vigoremque studiis pristinum reddit, regnumque suum tranquillum praestat et felix, condidisse novo nuper auspicio Ordinem, DANI FRATRIS cognomento celebratum, cuius ut primordia egregia fuerant, ita faustissima incrementa et successus tanto nomine dignos optamus.

§. VI. Nunc tandem ut variaverit regni huius fortuna, et res, quae raro eadem sunt, neque semper procedunt ex voto, praecipites iverint interdum: tum quomodo restituta benigniore auspicio fuerint, ac magnitudine imperii et fide subiectorum populorum etiamnum firmentur ac adolefcant, scribendum opportune esset, nisi scirem id futurum instituto longius, et iusto volumine alias explicandum. Itaque hic usu optimum iudicio et officio meo conveniens omnino, suscipere vota pro CHRISTIANO V. eo REGE, cuius et multae cum Domo Saxonica necessitudines sunt, et de laudibus fama omnium sic consentiens, ut propter aequum imperium maximus, propter tranquillam administrationem felicissimus appellari suo iure debeat, et referri in exemplum posteris, praesertim quod in hoc temporum motu rerumque incredibili perturbatione studia pacis sectetur ipse et servet.

### XXIII. RES SUEO-GOTTHICAE.

Sveonum, et qui iuxta hos eiusdem originis (a) sub uno Martio regno Scolunt, Gothorum acta bellaque referam, et quibus artibus creverint utriusque ac floruerint, tum quae disciplina, quae gloria domi militiaeque fuerint, memorabo.

(a) Svedi velut septentrionis sui Aborigines et domestici imperii tenaces ab se Gothos Cimbroscque effuderunt, Goldast. de reg. Boh. l. 1. c. 5. p. 7. Quod ex Crantzii Suecia l. 1. c. 1. et annalibus Gothilandicis hausit, unde constat, Svedos se olim fere patriis sedibus continuisse, Gothos autem longis a septentrione itineribus profectos, vehementi et repentino impetu in Romani imperii fines penetrasse, Hinc Paulus Iovius l. 1. Hist. sui temp. Gothiam affirmat Romanorum malo clariorem, quam Suediam. Pulchre Crantzius, Sueciae, inquit, domi et vicinis in locis nomen praevulsit: foris autem et in longinqua militia, Gothorum gloria sublimioribus longe titulis inclaruit. Vnam utriusque gentis originem indicat David Chytraeus in Svec. p. 13. et ex eo Mattb. Lungvizi de Gust. Adolphi adventu in Germ. p. 25. Di-